



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. An, & ob quas causas excusetur accusatur à calumnia, ejúsque pœna,  
& an etiam denunciator puniatur, tanquam calumniator, si in probatione  
criminis deficiat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS II.  
DE CALUMNIATORIBUS.

§. I.

Quis dicatur calumniator, & quid sit calumniari, & quali poena sit afficiendus?

Calumniari aliud non est, quam falsa crimina proponere, & calumniator, proprie loquendo, dicitur ille, qui falsum crimen alicui in iudicio imponit, ita tamen, ut alia calumnia sit vera, quando quis scienter, & per dolum, falsum alicui crimen objicit; alia vero sit praesumpta, quando quis crimen, de quo accusavit aliquem, aut denunciavit, non probat, aut in probatione deficit; praesumitur enim hic talis, animo calumniandi, licet movisse, nisi ex quibusdam indiciis appareat, eum probabiliter litigasse.

Calumniator autem, qui scienter & per dolum falso accusavit alium, punitus olim fuit poena talionis ordinaria, hodie tamen puniti solet poena extraordinaria, ad arbitrium Iudicis, varias circumstantias attendentis; uti colligitur ex c. Super his. 16. de accusat. & c. Cum foris. 1. h. r.

§. II.

An, & ob quas causas excusetur accusator a calumnia, eiusque poena; & an etiam denunciator puniatur, tanquam calumniator, si in probatione criminis deficiat?

Excusatur a calumnia, etiam praesumpta, accusator, si iusta causa, & ex-

rore probabili ductus accusavit, etiam si postmodum in probatione criminis deficiat, ut constat ex L. 1. sed non utique ff. ad senatus consultum Turpillianum, ita ut nec ad expensas solvendas condemnari possit. Sunt autem causae iustae excusantes ejusmodi plures, ut si semiplene saltem probavit; si fuit a testibus deceptus, &c. Neque tamen publici denunciatores, qui publica auctoritate ad denunciandum crimina constituti sunt, aut ad probandum denunciatum crimen obligantur, aut si in probatione deficiant, poenam aliquam puniuntur, ex praesumpta aliqua calumnia, modo nominent testes de delictis verosimiliter informatos, aut alia indicia aperiant, quibus Iudex ex officio moveri possit, ad ulteriorem inquisitionem; cum esset in talibus calumniae praesumptio, qui ex necessitate officij denuntiant; subinde tamen ad poenam calumniantium evitandam, si non sufficienter probant, quod denuntiant, probare debent, saltem per juramentum proprium, quod non animo calumniandi denuntiauerint, ut ne denunciatores cum boni publici periculo

sibi semper timere debeant, de poenis calumniantium.



Tyyy 2 TL